

ut Joh. 8. dicit, Quis ex vobis potest me convincere alicujus peccati? Crudelis igitur est adversus seipsum, qui famam suam negligit, nec eam adversus sycophantas & obtretractores defendit. Modestiae egregium exemplum habemus in Maria matre Christi, quae ad summos honores evecta, ad humiliationem sese magis preparat & componit, & Deo gratias agit, ut videre est in ipsius cantico, Luc. I. in quo sese ancillam Domini, non matrem aut filiam appellat. Exemplum memorabile singularis modestiae proponunt historici in Godefredo Bulionaeo, qui, quum prope Hierosolymam feliciter pugnasset adversus Turcam, & ab hujus tyrannide Christianos oppressos fortiter liberasset, jam aureo diademate pro more ut excellens victor ornandus, & rex salutandus, tantum honorem recusavit, propterea quod iniquum censeret, se hominem peccatorem coronam gestare ex auro & gemmis contextam, eo in loco, ubi Christus Dei filius propter peccata hominum coronam tulerit ex spinis confectam. Simile ferè exemplum refert Volaterranus lib. 13. Anthropol. c. 4. de Tito Vespasiano, qui, quum captis Hierosolymis omnia loca cadaveribus implevisset, & à finitimis gentibus ob victoriam corona ei offerretur, respuit, dictitans, se tali honore indignum, utpote qui nihil aliud praestitisset, quam quod irato Deo contra Judaeos manus praebuisset. Quum Maximiliano Imp. aliquando à quodam malevolo in ignominiam scripti essent hi Germanici rhythmi: Da Adam haekt/ vnd Eva span/ Wer war damals ein Edelman/ subscripsisse fertur: Ich bin ein mann wie ein ander man/ Nur das mir Gott der ehren gan. Prudenter & modestè respondit, dignitatis suae autorem Deum agnoscens, & extra eam se ceteris hominibus non superiorem aut meliorem judicans.

3 Modestiae in excessu opponitur Ambitio, quae est vitium morale, quo homo nimis appetens est honoris.

SCHOL. Ab Aristotele dicitur καυρότης, id est, fastus, superbia & animi elatio, scilicet in magnis honoribus; in

Exempla
Modestiae

3.

4.